

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4270

Auteur(s) : Hugues de Morville, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1215

Action juridique : règlement conflit

Langue du texte : latin

Analyse

Hugues, évêque de Coutances, notifie l'accord conclu entre Robert Brese, habitant de la cité (civis) de Paris, d'une part, et l'abbé et les chanoines de La Lucerne, d'autre part, sur son fief sis en paroisse de Saint-Pierre de Blainville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° LII, p. 45.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus presens scriptum inspecturis Hugo dei gracia Constanciensis ecclesie minister humilis salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus quod controversia que vertebatur inter Robertum Brese, civem Parisiensem, ex una parte, et abbatem et conventum de Lucerna, ex altera, super quodam feodo suo in parrochia Sancti Petri de Blainvilla sito, auctoritate apostolica coram abbatte et priore Sancti Martini, et priore Sancti Petri de Pontisara, terminata fuit in hunc modum, sicut ex litteris jeorundem udicum et carta prefati Roberti Brese perpendimus : videlicet quod idem Robertus Brese dictis abbatii et conventui de Lucerna dedit et concessit totum illud feodum scilicet Rogerii Heredis patris sui, Willelmi et Stephani, avunculorum suorum ; quod feodum dicitur continere quinquaginta acres terre, vel eo amplius ; et juri quod in eodem feodo habere contendebat modis omnibus renuntiavit, et dictos abbatem et conventum a sua impetione quietos dimisit, et se prenominatis abbatii et conventui predictum feodum cum omnibus pertinentiis suis, ut prescriptum est, videlicet in terra et in mari, bona fide garantizaturum sicut heres, secundum morem et consuetudinem regionis, expensis, dampnis, injuriis retroactis et omnibus quarelis ab utraque parte sibi ad invicem relaxatis, promisit, prestito corporaliter sacramento. Pro hac autem concessione et pace ab ipso redimenda dicti abbas et conventus dederunt illi viginti libras Turonensium, intuitu caritatis, de bonis videlicet monasterii sui. Quod, ut firmum et stable haberetur in perpetuum, scripto predictorum judicum autentico, quod nos inspeximus, fecerunt communiter confirmari, et idem Robertus carte sue auctoritate et sigilli sui testimonio confirmavit. Qui etiam postmodum accedens ad nos, ad majorem in posterum firmitatem, per cartam suam totum predictum feodum in manu nostra resignavit et omnino dimisit ad opus predictorum abbatis et conventus, de predicto feodo fideliter garantizando coram nobis et clericis nostris iterans sacramentum. Quod, ut ratum sit, nec aliqua possit in posterum malignitate in irritum revocari, presentis carte nostre testimonio et sigilli nostri patrocinio duximus confirmare. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini M CC XV.